

idea exhibet essentiam adæquate, sed inadæquate ac deficientissime; singulæ namque idæ expriment divinam essentiam, prout certo gradu imitabilem ad extra. Quare etiam non omnes exemplares idæ Dei repræsentant, quidquid in ejus ineffabili essentia quasi gradus essendi perfectissimus consideratur a nobis, sed solum idæ intellectualium naturarum. Quamquam ergo omnia entia secundum suam curjusque naturam perfectissime imitentur exemplar divinum, possintque respectu illius dici imago, non tamen omnia perfecte repræsentant ipsam naturam divinam, prout jam declaratum est (1). Verum hæc nobis delibasse sufficiat.

DISPUTATIO QUARTA.

DE LEGIBUS NATURÆ.

Ultima jam aggredienda est disputatio ad generalem de mundo tractationem spectans, legibus enim reguntur non singulæ solum naturæ, sed plurium quoque naturarum complexiones, atque adeo tota mundana machina, cujus varia membra mutuis devinciuntur vinculis relationum secundum ratas et stabiles motuum actionumque variarum normas. Et quamquam leges istæ singillatim a peculiaribus scientiis indicandæ ac probandæ sint, hic tamen necesse est earum rationem et attributa enucleare, ut exinde possit et illud decerni, num derogationem vel suspensionem per miraculum pati valeant.

(1) S. Thom. 1. p., quest. 93, art. 2 ad 4.^{um}

CAPUT I.

DE LEGUM NATURÆ RATIONE ET ATTRIBUTIS.

ARTICULUS I.

Ratio et veritas legum naturæ.

101. Nomine *naturæ*, omissis aliis acceptionibus alibi aperiendis, venit hic quodlibet ens mundanum, vel etiam quodlibet ens creatum in ordine ad operationem inspectum; nam quæ de legibus naturæ deque earum derogatione dicturi sumus, applicari fere possunt ad entia cuncta creata, sive corporea sive spiritualia. At quidnam, quæso, est lex? Nihil magis in ore habent multi naturalium scientiarum cultores, nihil tamen minus explicant, quam legis conceptum: multi etiam aut perperam illum, aut certe non omnino accurate, describunt. Si vero priscos illos sapientiæ magistros audias, lex generatim est *quædam regula... et mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur* (1): duo proinde complectitur, rationem normæ dirigentis ac præscribentis actus faciendos vel omittendos, et vim coactivam, qua legem accipiens obligatur ad sic et non aliter operandum (2). Verum bifariam potest esse lex in aliquo; *essentialiter* vel sicut in regulante et mensurante, ac *participative* vel sicut in regulato et mensurato. Et quia regulare ac dirigere actiones proprium est rationis, ideo essentialiter ac sicut in regulante lex solum est in ratione, participative autem est *in eo, quod mensuratur et regulatur; ita quod omnis inclinatio vel ordinatio, quæ invenitur in his, quæ subjecta sunt legi, participative dicitur lex* (3). Lex in regulante est ipsum dictamen practicum rationis in imperante,

Quid naturæ nomine veniat.

Quid sit lex generatim:

(1) S. Thom. 1. 2. quest. 90, art. 1.

(2) Vide S. Thom. 1. 2. quest. 90, art. 1, quest. 93, art. 4 ad 4.^{um}; quest. 96, art. 5.

(3) S. Thom. 1. 2. quest. 91, art. 6. Cfr. ibid. art. 2; et quest. 90, art. 1 ad 1.^{um}, art. 3; ad 1.^{um}

quid
leges naturæ.

normam præscribens operandi; at lex in regulato est participatio normæ operandi ab imperante applicatæ iis, quibus lex imponitur. Planum porro est leges naturæ hic intelligendas non esse eas, quæ sint in natura sicut in regulante, sed sicut in regulato; nec aliud proinde esse possunt, quam inclinationes vel determinationes existentes in natura ad certo quodam modo et non aliter operandum. Ut ergo melius percipiantur, considerandæ non sunt seorsim et in se, sed quatenus sunt participationes, quales re vera sunt, ipsius legis æternæ, qua Deus cuncta creata, sive rationalia sive irrationalia, gubernat, et ad suos quæque fines sapientissime dirigit, ac perducit. Certum enim est, ut modo supponimus, cuncta creata divinæ providentiæ subjacere, atque a Deo gubernari, non solum in communi, sed etiam in particulari. Jam *sicut in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ constituuntur per artem; ita etiam in quolibet gubernante oportet, quod præexistat ratio ordinis eorum, quæ agenda sunt per eos, qui gubernationi subduntur. Et sicut ratio rerum fiendarum per artem vocatur ars vel exemplar rerum artificialiarum; ita etiam ratio gubernantis actus subditorum rationem legis obtinet, servatis cæteris conditionibus, quas non est hujus loci explicare (1). Ergo, sicut ratio divinæ, sapientiæ in quantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis vel exemplaris vel ideæ; ita ratio divinæ sapientiæ, moventis omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis (2). Hæc est lex æterna Dei, quæ definitur a S. Thoma: ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum (3).*

Quid lex
æterna Dei:

Huic legi æternæ, in mente Dei sicut in regulante existenti, respondet in rebus creatis aliqua participatio. Nam cum omnia, quæ divinæ providentiæ subduntur, a lege æterna regulentur, et mensurentur... manifestum est, quod omnia participant aliquam legem æternam, in quantum scilicet ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus et fines (4): singula secundum modum suæ capacitatis ac naturæ, rationalia quidem

- (1) Vide interea S. Thom. 1. 2. quæst. 90.
- (2) S. Thom. 1. 2. quæst. 93, art. 1. Cfr. quæst. 91, art. 1.
- (3) Ibid.
- (4) S. Thom. 1. 2. quæst. 93, art. 2.

intellectuali modo, quatenus per lumen naturæ apprehendunt, quid sibi faciendum vel omittendum sit, irrationalia vero modo non cognoscitivo, quatenus, quin ipsa divinum præceptum legis æternæ apprehendant, inclinantur ad sic et non aliter operandum. Nam *sicut homo imprimit denuntiando quoddam interius præceptum actuum homini sibi subjecto; ita etiam Deus imprimit toti naturæ principia propriorum actuum. Et ideo per hunc modum Deus dicitur præcipere toti naturæ; secundum illud Psalmi 148 (vers. 6): Præceptum posuit, et non præteribit. Et per hanc etiam rationem omnes motus et actiones totius naturæ legi æternæ subduntur (1).* Participatio itaque legis æternæ in creatura rationali vocatur *lex naturalis*; participatio vero ejusdem æternæ legis in creaturis irrationalibus, dici solet *lex naturæ* vel *lex physica*, de qua hic nobis est sermo. Nihilominus quia rationalis creatura participat æternam legem intellectualiter et rationaliter, ideo participatio legis æternæ in creatura rationali proprie vocatur *lex*, nam *lex est aliquid rationis (2)*; in creatura autem irrationali non participatur rationaliter, unde non potest dici *lex nisi per similitudinem (3)* et analogiam; quia nempe cum natura eodem modo subsit, et fidelissime sequatur divinitus impressam inclinationem, ac si Creatoris sui rationem et voluntatem re vera cognosceret, non quidem proprie obedit, sed tamen speciem gerit et similitudinem obedientis ac jussa exsequentis, ac proinde ratio ipsa et ordinatio divinæ providentiæ etiam respectu creaturæ irrationalis dici potest per metaphoram præceptum, imperium, lex. Ac propterea docet S. Thomas, quod quamvis *creaturæ irrationales non participant ratione humana, nec obediunt ei, participant tamen per modum obedientiæ ratione divina; ad plura enim se extendit virtus rationis divinæ, quam virtus rationis humanæ. Et sicut membra corporis humani moventur ad imperium rationis, non tamen participant ratione, quia non habent aliquam apprehensionem ordinatam ad rationem; ita etiam creaturæ irrationales moventur a Deo, nec tamen propter hoc sunt rationales (4).* Homines

eidem respondet
in creatura
rationali
lex naturalis;
et in creatura
irrationali
lex physica vel
lex naturæ,

quæ solum
dicitur lex per
analogiam
et metaphoram.

- (1) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 93, art. 5.
- (2) Vide S. Thom. 1. 2. quæst. 90, art. 1.
- (3) S. Thom. 1. 2. quæst. 91, art. 2, ad 3.^{um}
- (4) S. Thom. 1. 2. quæst. 93, art. 5.

quidem, et etiam angeli, nequeunt naturæ ullum præceptum imponere etiam in sensu metaphorico, quia nec possunt imperium suum eidem denuntiare vel promulgare, sicut possunt aliis entibus ratione præditis, nec illam intrinsicè inclinare ac determinare ad id, quod volunt. Deus vero tamquam Auctor naturæ, inserendo activa principia convenientia, inclinât eam, quo ratio æternæ providentiæ inclinandam esse iudicat: quæ inclinatio vices gerit quodammodo promulgationis. Etenim testante Angelico, *hoc modo se habet impressio activa principii intrinsicè quantum ad res naturales, sicut se habet promulgatio legis quantum ad homines: quia per legis promulgationem imprimuntur hominibus quoddam directivum principium humanorum actuum* (1).

Colligitur
ex dictis definitio
legis naturæ.

Quæ cum ita sint, quæ dicuntur *leges naturæ* vel *leges physicae*, aliud non sunt nisi participationes quædam divinæ legis æternæ, similique modo se habent respectu naturæ, sicut lex naturalis respectu entium rationalium: ac describi jure merito possunt naturales inclinationes vel determinationes rebus a Deo impressæ, ut ad proprios fines secundum suam quæque naturam certo et uniformi modo tendant: ac proinde quoad rem ipsam confunduntur cum naturalibus tendentiis et cum appetitu naturali, quo res quæque ad suum bonum, atque adeo ad agendum vel patiendum certo modo et gradu naturæ suæ consentaneo dirigitur adque impellitur (2). *Sic igitur sub Deo legislatore diversæ creaturæ diversas habent naturales inclinationes; ita ut quoad uni est quodammodo lex, alteri sit contra legem: ut si dicam quoad furibundum esse est quodammodo lex canis, est autem contra legem ovis vel alterius mansueti animalis* (3). Non ergo lex naturæ est operatio ipsa constans et uniformis, nec proprie modus constans et uniformis operandi, sed ratio sufficiens ejusdem seu internum principium, unde uniformis et constans operatio fluit. Et probatur, quia de legibus naturæ judicandum est per analogiam ad proprie dictam legem; nam non sunt proprie leges, sed solum per metaphoram eo donantur nomine. Atqui lex

Operatio
naturæ: constans
et uniformis
non est lex,
sed effectus legis.

(1) S. Thom. *ibid.* ad 1.^{um}

(2) Cfr. S. Thom., 1^a p., quæst. 103, art. 1 ad 3.^{um}; et art. 8. corp.

(3) S. Thom. 1. 2. quæst. 91, art. 6.

veri nominis non consistit in ipsis actionibus certo modo constanter elicitis, sed in norma rationis ad certo modo operandum obligans. Ergo simile quiddam de naturæ legibus dicendum est. Norma autem ad certo modo operandum obligans naturas intelligendi vi destitutas, aliud esse non potest, quam quædam tendentia vel inclinatio vel necessitas divinitus impressa determinans et mensurans gradum et modum agendi singularium entium naturalium, ut ad præscriptos sibi fines assequendos certo dirigantur. Quare, quamvis leges naturæ soleant sæpe exprimi et enuntiarî instar facti vel eventus alicujus uniformis, ut cum dicimus, *corpora calore dilari, attractionem decrescere proportionè inversa quadrati distantiarum, terram singulis diebus gyrum peragere circa suam axem ab occidente versus orientem, etc.*; semper subaudienda est interna aliqua exigentia vel determinatio in subjecto existens ad talia facta vel eventus: illa enim proprie non sunt lex, sed effectus legis.

102. Jam quod dentur hujusmodi leges naturæ sive physicae extra dubium est, ut patet vel ipsa experientia, quæ passim detegit ope inductionis certos ac determinatos modos operandi in omnibus entibus naturalibus: quod si dantur modi certi ac determinati operandi, necesse quoque est, insitas naturis exigentias et propensiones ad sic operandum agnoscere; nisi velis vel casu semper eodem modo operari naturales causas, vel Deum illas absque ullo interno principio ad uniformes motus incitare, quorum primum in præcedenti disputatione exclusum est, alterum ad occasionalismum adducit. Præterea si Deus voluit etiam suas causas secundis vires et activitates largiri, finesque proprios assignare, ad quos omnia per providentiam suam sapientissime promovet ad mundanum ordinem conservandum; oportuit, ut consentaneas quoque inclinationes rebus imprimeret, quibus ad prædictos fines certissime assequendos spontaneo appetitu ac tendentia perducerentur. Quare conveniunt omnes Philosophi ac naturalium scientiarum cultores in admittendis legibus naturæ, saltem nomine tenus et quoad effectus; immo vero physica-rum disciplinarum studiosi toti sunt in hujusmodi legibus perscrutandis ac detegendis. Dixi *saltem nomine tenus et quoad effectus*, quia positivistæ, quamvis *leges* phenomenorum

Probat legem
physicarum
existentia.

quæ saltem
nomine tenus
communitè
admittitur.

factorumve se velle in natura cognoscere profiteantur, nomine tamen *legum* non intelligunt ullum internum nexum vel insitam exigentiam certi alicujus phaenomeni vel operationis, quae ab aliqua natura procedat, sed tantum phaenomena vel operationes certo modo et ordine vel gradu existentes ad praesentiam quorundam entium: nempe admittunt id, quod revera est effectus vel consecrarium legis, idque legem appellant, veram autem internam legem inficiantur. Verum de positivistarum fatuis ineptiis in limine *Ontologiae* dictum est.

Existunt ergo leges naturae, iisdemque regitur regnum minerale et vegetale et animale, immo et ipsum ens rationale, quippe quod quamvis intelligentia praeditum sit, non desinit esse natura quaedam creata, et prout talis praeter legem naturalem, quam cognoscitivo modo participat ad *boneste* operandum, aliis eget legibus et inclinationibus, quibus in suis *naturalibus* operationibus etiam ipsius intellectus et voluntatis dirigatur. Neque solum genera et species, verum singula individua, legibus specificae suae naturae consentaneis instruuntur; immo vero in viventibus organicis varia quoque membra ejusdem individui peculiaribus et harmonicis inclinationibus ad certas functiones et operationes constantissime et uniformiter exercendas sponte naturae propelluntur, unde totius entis bonum efflorescit et vitae conservatio. Hoc pacto v. g. variae functiones vitae vegetativae ac sensitivae suis propriis legibus reguntur: et generatim quo major est corporum perfectio, eo complicatior est varietas organorum et operationum, quae ut rite fines suos assequantur, certis egent normis ab Auctore naturae impressis. Horum omnium legum studium, cui diligenter incumbunt Physici, mirifice confert ad naturae cognitionem, maximumque affert commodum usibus vitae artibusque; siquidem corpora pro variis proprietatibus et legibus alia ad alios usus applicantur, sive ad vitam sustentandam, sive ad conficienda instrumenta, sive ad artificiosas ex pluribus apte elaboratis et inter se connexis membris extruendas machinas, quibus miri saepe ac portentosi effectus industria hominum, ut passim cernimus, obtinentur.

Duo genera
legum
physicarum.

Caeterum ad duo genera videntur omnes leges posse revocari: aliae enim immediate efflorescunt ex ipsa proprii

subjecti natura, tales sunt v. g. leges chemicarum combinationum et innumeræ aliae rebus singulis peculiare. Aliae vero resultant ex certa aliqua variorum corporum dispositione et ordine; earumque illustre suppeditant exemplum planetarii motus hujus nostri systematis solaris. Neque enim leges motuum, quibus aut terra aut alia siderea corpora animantur, ex eorum natura immediate proflunt; nam profecto potuerunt illa, salva essentia, aut nullum plane motum, aut alium diversum in alia mundi constitutione habere; verum supposito, quem in aethereis spatiis acceperunt, situ ac positione, supposita virtute attractiva et pristino motu projectionis, non potuerunt aliter moveri, ac proinde in praesentibus adjunctis in hoc variorum corporum systemate adest necessitas et exigentia tales ac tali ordine constantissimo edendi motus, quos astronomi describunt, et omnes ingenti admiratione contemplantur, utilissimosque vitae nostrae experimur.

Distingui quoque possunt leges particulares et singulis corporibus pro sua specie propriae ac peculiare, et leges universales, quae pluribus vel omnibus corporibus sint communes. Verum haec fusius persequi necesse non est. Illud tantum noto solere a quibusdam leges *cosmicas* dici eas, quae non tam sunt leges naturae, quam formulae constantem et uniformem modum operandi Auctoris naturae exhibentes. Harum legum sex enumerat P. Salvator Tongiorgi (1): prima est *lex utilitatis*, quae a priscis Philosophis illo axiomate exprimebatur: *Natura nihil facit frustra*. Secunda est *lex medii naturalis*, secundum quam *quae mediante operatione causarum secundarum fieri possunt, Deus immediata sua operatione non facit*. Tertia est *lex continuitatis*, quam sic enuntiavit Dionysius: *Supremum inferioris naturae attingit infimum superioris* (2): eandem post Leibnitzium hoc modo efferunt recentiores: *Natura non facit saltus*; eaque non parum abutuntur transformistae ad lentam specierum evolutionem mutationemque obtrudendam. Quarta est *lex unitatis*, quae in finium

Leges
particulares
et universales:

leges *cosmicæ*,

prima,
secunda,

tertia,

quarta,

(1) *Cosmolog.* n. 400 seqq. Cfr. cl. P. Tilmann Pesch. *Philos. natural.*, n. 310.

(2) *De divin. Nomin.* cap. 7.

quinta
et sexta.

subordinatione præsertim elucet. Quinta *lex pulchritudinis*; sexta *est constantia* in uniformi operandi modo. Verum hæc innuisse sufficit.

In quo
consistent leges
naturæ, et an
a viribus
ac proprietatibus
distinguantur.

103. Sed enim quæret aliquis: quid tandem rei sunt istæ leges naturæ, quarum hactenus notionem explicuimus, et existentiam demonstravimus? Suntne ipsæ vires ac proprietates naturales, an vero aliquid ab eis distinctum? Sunt qui vim cum lege confundant (1), quibus repugnat cl. P. Tilmanus Pesch. Verum saltem conceptu eas distinguere oportet: vis enim principium dumtaxat operationis significat, atque ex suo latissimo conceptu videtur præscindere ab insita propensione ad determinatum aliquo modo et uniformi operandum in ordine ad finem, quam ratio legis importat: proprietas etiam ex suo primo conceptu non implicat prædictam ordinationem et inclinationem, sed tantum rationem accidentis fluentis necessario ex intimis, ut ita dicam, visceribus naturæ. Unde legem concipimus instar normæ cujusdam ac regulæ, cui vis in operando subjicienda est. Fundamentum autem distinguendi habetur primo ex eo, quod non repugnat conceptui vis aut virtutis, ut ad nullum determinatum modum operandi alligetur, et adstringatur, quemadmodum plane innotescit in virtute appetitiva voluntatis nostræ, unde etiam veri nominis leges solis entibus liberis imponuntur, et respectu eorum actu, qui non sunt ex naturæ necessitate determinati, sed poni vel omitti possunt vel diversimode effici. Conceptus ergo vis activæ non secum identificat rationem legis. Præterea leges latius patere videntur, quam vires, siquidem considerari possunt non solum in ordine ad agendum, sed etiam in ordine ad patiendum et resistendum; ac proinde ultra vires activas ad ipsum quoque principium vel potentiam passivam extenduntur, ut patet v. g. in lege inertiae, quæ non activitatem, sed passivitatem importat, et in vario gradu, quo varia corpora eodem caloris gradu dilatantur. Si ergo non omnis lex in viribus naturalibus consistit, necesse est dicere leges a viribus conceptu saltem distinguere. Leges itaque conceptio tamquam inclinationes naturis

(1) Ita v. g. Fechner et H. Helmholtz apud P. Pesch. loc. cit. n. 67, 5.^{um}

divinitus impressas, ut fines suos assequantur, vires autem tamquam media et instrumenta, per quæ leges executioni mandentur. Et sic naturales hujusmodi inclinationes seu leges, non video, cur necesse sit re distinguere ab ipsa natura; a viribus autem et proprietatibus distinguuntur, sicut natura ipsa distinguitur ab illis. Ex quo facile intelligitur, quomodo etiamsi natura supponatur per miraculum proprietate aliqua vel viribus spoliata, id quod possibile esse docuimus in *Ontologia* (1), non ideo tamen concipienda sit legibus quoque privata; quia nempe adhuc in tali natura est exigentia et inclinatio naturalis habendi vires et consentaneas proprietates, ac per eas modo suæ speciei debito operandi. Certe si ignis calore privaretur divinitus, non ideo posset dici indifferenter se habere ad habendum vel non habendum calorem, ad calefaciendum vel non calefaciendum, licet de facto non posset calefacere donec virtute sibi debita donaretur. Hanc forte sententiam innuit S. Thomas illis verbis: *Necessitas naturalis inbovens rebus, qua determinantur ad unum, est impressio quædam Dei dirigentis ad finem; sicut necessitas, qua sagitta agitur, ut ad certum signum tendat, est impressio sagittantis, et non sagittæ. Sed in hoc differt, quia id quod creaturæ a Deo recipiunt, est earum natura, quod autem ab homine rebus naturalibus imprimitur præter earum naturam, ad violentiam pertinet* (2). Et hæc quidem de legibus illis simplicibus, quæ corporibus singillatim sumptis insunt, videntur satis plana esse. Leges vero aliæ complexæ, quæ ex simplicium compositione efflorescunt, non quidem adæquate identificantur cum natura singulorum seorsim sumpta; sed complexum variorum corporum requirunt, ultra quam, si debita adsint adjuncta, nihil aliud videtur esse addendum. Nam lex v. g. peragendi annum gyrum circa solem in singulis planetis, quid aliud est, si res bene perpendatur, quam lex ipsa inertiae, qua, impulsu semel accepto, urgentur ad motum, modificata per actionem solaris attractionis?

Cum legibus naturæ intimam habet necessitatem et co-gnationem *ordo* et *cursus naturæ*. Ordo naturæ consistit in

Ordo
et cursus naturæ

(1) Vide n. 322, pag. 986.

(2) S. Thom. 1 p. quest. 103, art. 1 ad 3.^{um}

mutuis, quæ inter varia corpora intercedunt, relationibus ratione legum: sic inter ignem et ferrum hic adest ordo, ut ferrum certo gradu et mensura caleferi ac delitari debeat, si igni applicetur. Cursus naturæ est consecutio eventuum in natura secundum normam et exigentiam legum.

ARTICULUS II.

De legum naturæ constantia et necessitate.

104. Duæ nunc tractandæ sunt quæstiones ad leges naturæ pertinentes: prima, sintne illæ constantes et universales; secunda, an et quomodo sint necessariæ. De utraque breviter agendum ex ordine.

§ 1.—AN LEGES NATURÆ SINT UNIVERSALES ET CONSTANTES.

Constantia
et universalitas
legum
physicarum.

Prima istarum controversiarum, si teneantur quæ de legum naturæ existentia dicta sunt, fere otiosa est. Quid enim, quæso, aliud est leges dari in natura, et leges hasce constantes esse atque universales? vel undenam probabis leges constanter servari ubique, ac porro servatum iri, nisi ex eo quod adsint rationes sufficientes, in rebus certum operandi modum exigentes, nempe ex eo quod re vera dentur leges? Nihilominus frequentius et communius est apud eruditos viros leges naturæ agnoscere, quam earum etiam universalitatem et in futurum constantiam largiri: leges concedunt omnes saltem nomine tenus, ut jam innuimus, at constantiam quidam negant, aut certe in dubium revocant. Primum enim Lockius putavit conclusiones, quæ inductione colliguntur, certas non esse, sed solum probabiles (1): unde concludendum foret, quoniam leges naturæ fructus inductionis sunt, certitudine atque adeo constantia minime pollere. Similis fuit Christiani Wolfii opinatio (2). Humilis vero, negata, ut retulimus in *Ontologia* (3), realitate notionis causæ,

quibusdam
perperam
negata,

(1) Apud Tongiorgi, *Cosmolog.*, n. 419.

(2) *Logic.* part. 2, paragr. 674.

(3) Num. 387, pag. 1103.

solaque asserta phænomenorum successione absque ullo principio interno ea exigente et inferente, concessit quidem nos, ob assuetudinem quamdam et associationem idearum ex eventibus præteritis, minime dubitare de aliorum similitudine in posterum repetitione; negavit tamen hanc persuasionem ullo niti reali fundamento, aut probari ratione posse. Hæc enim, inquit, enuntiatio: *Transacto futurum consimile erit*, neque experientiam vadem habet, nec rationem aliquam a priori: non experientiam, quia futurum, quamdiu tale est, experiri non possumus; non rationem, quia profecto in conceptu præteritorum eventuum non continetur similitudo cum futuris, cum potissimum innumeros videamus eventus, qui non solent perpetuo uniformi constantia accidere. Alii quavis legum universalitatem et constantiam agnoscant, eam tamen ex falso et infirmo principio derivant. E quorum numero est Joannes Stuart Mill, qui consequenter ad suam illam absurdam doctrinam, quam in *Ontologia*, exposuimus (1), negantem omnem veri nominis causalitatem et eternum nexum inter causam et effectum, non aliud tandem assignat fundamentum legi universalis causalitatis, cui fatetur inniti omnis inductio et omnis lex naturæ (2), præter experientiam (3). Unde logice concludit ipsam legem causalitatis universalis, secundum quam omnis effectus habet causam, certam nobis esse non posse pro illis casibus, quorum adjuncta cadere sub sensus nostros nequeunt: ac proinde temerarium fore illum, qui eadem certitudine predictam legem extenderet ad regionem stellarum (4). Similis est opinio

(1) Vide n. 387, 388, pag. 1104 et 1106.

(2) Vid. *Système de Logique... par John Stuart Mill, Deuxième édition traduite... par Luis Peisse*, tom. 1, liv. 3, chap. 3, 4, 5, tom. 2, liv. 3, chap. 21.

(3) Vid. op. cit., liv. 3, chap. 21.

(4) Il faut remarquer en même temps que nous n'avons pas les mêmes motifs de confiance pour les cas dont les circonstances nous sont inconnues et placés hors du champ de notre expérience. Dans ces parties reculées des régions stellaires, où les phénomènes peuvent être entièrement différents de ceux que nous connaissons, il sera insensé d'affirmer hardiment l'empire de la loi de causalité, pas plus que celui des lois spéciales reconnues universelles sur notre planète. L'uniformité dans la succession des événements, en d'autres termes

H. Lotze et Ottonis Liebmann apud cl. P. Pesch (1); et idem teneant, necesse est, omnes positivista, ac generatim omnes qui negant inesse rebus ipsis internum aliquod principium necessitatis naturalis, exigens constantem ubique et semper operandi modum. Ut peregrinae huic doctrinae, quae ipsam de medio tollere naturam, scientiisque universali dubitatione minitari videbantur, murum opponeret Thomas Reidius cum schola Scotica, ad sensum communem caecumque instinctum confugiendum esse iudicavit, quo ineluctabili naturae impetu feramur ad legum constantiam caeterorumque principiorum certitudinem amplectendam. Verum quia jam in *Logica* caecum ejusmodi instinctum exclusimus (2), aliter constantia legum physicarum propugnanda est.

105. PROPOSITIO 1.^a De constantia et universalitate legum physicarum ambigi nequit.

vindictatur.

Probatur 1.^o Constantia et universalitas legum physicarum bifariam accipi potest: α) relate ad omnia individua ejusdem speciei, ita ut omnia iisdem legibus regantur, v. g. quod omnis ignis comburat, omne ferrum gravius sit aqua, etc.: β) relate ad idem individuum, quamdiu durat in suo esse. Atqui utrovis sensu leges naturae constantes sunt atque universales.

Prob. α) relate ad individua omnia ejusdem speciei. Ubi- cumque natura eadem datur, proprietates quoque ac vires et inclinationes vel tendentiae naturales ad certos fines eadem sint, oportet. Atqui in omnibus individuis alicujus speciei, sive praesentibus, sive praeteritis, sive futuris, eadem est natura. Ergo in omnibus prorsus individuis eadem sunt

la loi de causalité, doit être acceptée comme une loi non de l'univers, mais seulement de cette partie de l'univers, ouverte pour nous à des investigations sûres, avec extension à un degré raisonnable, aux cas adjacents. L'étendre plus loin, c'est faire une supposition sans preuve, et dont il serait oiseux, en l'absence de toute base expérimentale, de vouloir évaluer la probabilité. Stuart Mill. Op. cit. t. 2, liv. 3, chap. 21 fin.

(1) *Los grandes Arcanos de la naturaleza*, tom. 1, part. 2, cap. 3, paragr. 2, n. 163, pag. 276.

(2) Vide *Logic. Major.* n. 87, pag. 576.

vires naturales ac proprietates et inclinationes vel tendentiae ad certos fines, atque adeo leges physicae, ut patet ex praemissa declaratione.

Prob. β) *reale ad idem individuum.* Quamdiu individuum aliquod in suo esse durat, eandem servat ubique naturam. Ergo etiam iisdem ornatur proprietatibus vel viribus naturalibus ac tendentiis, nempe iisdem regitur legibus. Quod si leges eadem sunt in omnibus ejusdem speciei individuis, quamdiu in suo esse perseverant, ad easdem quoque semper operationes incitabunt, nam non sunt liberae nec indifferentes, sed natura sua determinatae ad operandum certo modo et gradu. Ergo nisi obstat impedimentum aliquod extrinsecum, vel si adsint omnes condiciones, secundum quas praedictae leges natae sunt operari, certum prorsus est, quod semper et ubique operabuntur eodem modo. Constantes ergo et universales sunt leges naturae. Quare si qua lex naturae, in sensu composito praerequisitorum omnium, constantia careret atque universalitate, reapse non esset lex: ac proinde supposita legis existentia, nullum re vera superesse potest dubium de illius universalitate et constantia, sed difficultas tota consistit in cognoscenda vera lege ope inductionis. Quemadmodum enim jam in *Logica* docuimus, cum Inductionem explicarem, legis physicae existentiam pronuntiare non licet, donec iteratis observationibus et experimentis constet phaenomenum uniformis alicujus modi operandi, quod in individuis cujusvis speciei cernimus, in ipsa rei natura vel in naturalibus viribus proprietatibusque suam causam habere (1).

Prob. 2.^o Si leges naturae non forent universales et constantes, multa sequerentur eaque gravissima incommoda: α) Primo enim nullius rei naturam cognoscere possemus, non enim aliter intus latentes essentiae nobis panduntur, nisi mediis viribus ac proprietatibus legibusque, quae vicissim per uniformes et constantes operationes innotescunt. Unde vanus foret in homine naturalis appetitus cognoscendi naturas, vanaque omnes scientiarum inquisitiones. β) Miserrima foret hominis conditio super terram, si corporea natura,

(1) Recole, si lubet, dicta in *Logica Minor.* n. 170, pag. 358 seqq.

quæ in ejus gratiam, ut superius vidimus, condita est, nullis stabilibus legibus regeretur. «Fac enim dubiam esse legum naturalium constantiam: jam nulla foret experientiæ utilitas, nulla providentia futuri, nullus in humanis actibus ac relationibus ordo; nullumque certum consilium, sive paradis, quæ vitæ necessaria sunt, sive arcendis, quæ noxia, sive remediis adhibendis; omnia plena dubitationis essent. plena terroris; hominumque societas consistere non posset» (1). ¶ Hinc verò quis posset recte sentire de divina providentia sapientiaque? Ad sapientiam enim aptamque gubernationem pertinet, finem stabilem operi præstituire, mediaque apta procurare ad illum assequendum. Ubi cumque autem in regni vel operis cujusvis administratione, aut finem certum, aut firmum et constantem ordinem ac directionem desiderari videmus, omniaque in horas mutari, statim aut insipientiam notamus, aut certe inconstantiam, levitatem vel impotentiam magistratus vel administri, qui nesciat finem excogitare, mediave rite ordinare, vel temere illa commutet, vel non possit illorum executionem urgere. Jam vero finem a divina providentia mundo assignatum in præcedenti disputatione consideravimus, media autem ad illum assequendum naturis assignata, sunt vires ac proprietates tendentiæque naturales, quibus omnia mirifice conspirant ad mundanum hunc ordinem servandum. Ergo nefas est divinæque providentiæ ac sapientiæ injuriosum, inconstantiam vel accipitem fluctuationem in legibus physicis suspicari.

Prob. 3.^o denique propositio, experientia et communi omnium et sapientium et indoctorum sensu. Nemo enim pene est, qui legem agnoscat in natura, et non constantem atque universalem existimet; et huic persuasioni tota ferme hominum vita practica innititur. Opinio vero adversariorum, aut negantium aut dubitantium de hac veritate, ex triplici errore derivari potest, vel ex eo quod denegentur causis secundis veræ activitates, naturis earum consentaneæ; vel ex eo quod omnis causalitas in mera phaenomenorum successione absque ullo interno nexu inter antecedens et consequens reponatur; vel demum ex eo quod motivum assensus

(1) Tongiorgi, *Cosmolog.* n. 423.

in generalibus naturæ legibus scientiarumque principiis ex sensili experientia repetatur: qui omnes totidem sunt errores alibi profligati (1).

§ II.—AN ET QUOMODO SINT NECESARIAE LEGES NATURÆ.

106. Ex dictis hactenus colligitur aliquam inesse naturæ legibus necessitatem: nam constantia et universalitas rationem aliquam sufficientem habeat, necesse est; quæ cum nequeat esse aliquid ad utrumlibet indifferens et indeterminatum, ut per se patet, nec fortuitus aliquis casus, quippe qui stare nequit cum superius demonstrata finalitate causarum naturalium, omnino in aliqua necessitate sive intrinseca sive extrinseca reponenda est. Et nos quidem utramque hanc necessitatem nuper in ipsa legum constantia probanda agnovimus, et implicite asseruimus, cum rationem illius et ex interna legum conditione ac necessaria cum naturis rerum connexionem, et ex divinæ providentiæ sapientiæque certitudine atque immutabilitate derivavimus. Ecce autem illud statim quaerere occurrit, suntne leges naturæ ita necessariae atque ineluctabiles, ut nihil in ulla prorsus hypothesi contra eas accidere queat? Affirmat Spinoza (2) et pantheistæ, quibus quidquid in rerum natura evenit, aliud non est, quam necessaria et fatalistica evolutio unius substantiæ divinæ. Affirmant etiam deistæ, materialistæ, rationalistæ ac revelatæ religionis osores, qui ex hoc capite firmissimum argumentum ad miraculorum veritatem possibilitatemque impugnandam repeti posse arbitrantur. Sententia tamen catholicorum omnium tenet, leges naturæ non ita necessariae esse, ut in nulla hypothesi quidpiam fieri contra ipsarum normam valeat: quæ nobis doctrina exponenda et pro viribus propugnanda est.

Status
questionis:

error
pantheistarum
aliorumque;

veritas
catholica.

(1) Vide *Ontolog.* n. 387 seqq.; et n. 393 seqq.; *Logic. Major.* n. 210.

(2) *Tract. theolog. polit.* cap. 6.

107. PROPOSITIO 2.^o *Leges physicae hypothetice dumtaxat necessariae sunt, necesse tamen absolute ac metaphysice non est conditiones, unde pendent leges istae, semper apponi: quare neque absolute ac metaphysice impossibile est aliquid praeter naturae ordinem fieri, vel cursum naturae aliquam pati quandoque exceptionem.*

Leges naturae
sunt hypothetice
dumtaxat
necessariae.

Prima pars: *leges naturae sunt hypothetice dumtaxat necessariae.* Quae ut probetur, duo evincere oportet. a) leges physicas pendere semper ab aliqua conditione: b) leges physicas positae iis, unde pendent conditionibus, necessariae prorsus esse.

a) Probatur primum horum. Nam leges executioni mandantur per consentaneas actiones, ope naturalium virium elicita a causis secundis. Jam vero omnis creata causa requirit semper ad agendum certas aliquas conditiones vel praerequisita, de quibus fuse actum in *Ontologia* est (1). Leges ergo executioni mandari, seu operationes causarum naturalium ad normam legum fieri nequeunt, nisi suppositis quibusdam conditionibus: sic ignis v. g. comburere non potest, nisi materiam apte dispositam et convenienter applicatam habeat. Harum porro conditionum duplex est genus: quaedam enim se tenent ex parte causae primae, nempe concursus divinus, sine quo metaphysice repugnat ullam creaturam operari, atque adeo leges naturae executioni mandari, ut suo loco probandum erit. Reliquae conditiones se tenent ex parte causarum secundarum, atque ab iisdem apponuntur. Cumque leges naturae constantes esse dicuntur, supponitur semper servari omnes huiusmodi conditiones se tenentes ex parte secundarum causarum: nemo enim dixerit adesse in aliqua natura necessitatem et internam exigentiam certo modo operandi, v. g. in igne comburendi, nisi in sensu composito, ut ajunt, conditionum omnium naturaliter requisitarum. Cum ergo adhuc suppositis omnibus naturalibus praerequisitis, quae ex parte causarum secundarum in actu primo proximo constituent naturas ad agendum ad normam legum physicarum, requiratur praeterea divinus concursus ad

(1) Vide n. 400 seqq. pag. 1152.

ea executioni mandandas, plane conficitur leges naturales, quantumvis constantes et universales sint, solum hypothetice necessariae esse relate ac actualem operationem et executionem. Quod erat primum in hac priori parte propositionis demonstrandum.

Probatur jam b) leges physicas positae iis, unde pendent, conditionibus necessariae prorsus esse. Et re quidem vera, haec est indoles causarum necessarium, ut positae omnibus praerequisitis, nequeant non agere. Ergo si supponantur omnes conditiones ex parte causarum secundarum apponendae, naturae, quantum est de se, nequeunt non agere; et concursus etiam divinus aderit, saltem naturaliter loquendo, ac proinde leges executioni certissime mandabuntur. Deus enim dedit virtutes naturales causis secundis, ut agerent; et consequenter, nisi forte aliqua specialis ratio quandoque contrarium suadeat, vult quoque, ut agant pro suae naturae conditione: quare cum positae reliquis conditionibus ad agendum requisitis solus desiderari possit concursus divinus, dabit illum profecto gloriosus ac providentissimus Deus. Leges ergo naturae in sensu composito conditionum ad agendum requisitarum, non possunt non executioni mandari, seu necessariae sunt. Et haec est radix constantiae legum physicarum, quam superius demonstravimus.

Secunda pars: *non est absolute ac metaphysice necessarium, conditiones, unde pendent leges naturae, semper apponi.* Et controversia solum potest versari circa conditiones se tenentes ex parte causae primae, nempe circa concursum divinum. Certum enim est conditiones naturales saepissime non apponi, nec vero necessitas executionis vel constantia in legibus naturae adest, ut jam modo innuimus, nisi suppositis omnibus ejusmodi praerequisitis, quae si absint non solum non sequitur ulla operatio, verum ne potest quidem naturaliter sequi. Dubitatur ergo, utrum ubi appositae manent naturales omnes conditiones, necesse sit absolute ac metaphysice concursum divinum adesse. *Absolute*, inquam, et *metaphysice*, nam *physice* ac *naturaliter* constat necessarium esse; cum enim causae necessariae inclinatae sint ad agendum, ubicumque praesto adsunt praerequisita ex parte causarum naturalium secundarum apponenda, naturaliter exigunt, ut sibi offeratur

Non est
tamen absolute
necessarium,
conditiones,
unde pendent
leges, semper
apponi.

divinus concursus, quo solo jam eget ad operandum. Cumque Deus auctor omnis ordinis sit, non potest, saltem communiter loquendo, non velle pro sua providentia sapientiaeque creaturarum suarum indigentiae succurrere, ac naturalibus exigentis, quas ipsemet indidit, satisfacere. Unde videmus etiam rem semper ita solere de facto fieri. Volumus ergo nunc probare id, quamvis ex communiter contingentibus ita sit, absolute tamen ac metaphysice necessarium non esse.

Non est absolute ac metaphysice necessarium, ut conditiones, unde pendent leges naturæ, de facto apponantur, si stantibus hisce legibus, potest Deus causis secundis denegare concursum ad operandum; vel non talem conferre, qualem ipsæ causæ secundæ naturaliter postulant. Atqui potest Deus stantibus hisce legibus concursum suum denegare, aut alium diversum ab eo, qui eisdem pro naturæ suæ conditione conveniret, præstare. Ergo...

Major patet ex terminis ipsis.

Minor probatur. α) Deus est summe independens in operando ab omni creatura. Atqui non foret summe independens, si ex eo quod creatura, ubi adsunt in promptu reliqua prærequisita, naturaliter postulet divinum concursum, non posset eum ullo modo denegare, vel alium præstare diversum ab eo, qui earum naturis competit. Ergo...

Præterea β) Deus pro ratione omnipotentis suæ potest facere, quidquid repugnantiam vel contradictionem non involvit. Atqui quod Deus neget concursum ad hoc, ut leges executioni mandetur per consentaneas operationes, nullam repugnantiam vel contradictionem involvit. Nam essentia causarum secundarum profecto non consistit in operatione, possuntque creaturæ esse, ac porro sunt sæpe, sine operatione, videlicet quotiescumque deest aliqua conditio naturalis necessaria ad operandum. Immo vero creaturam operari non est creaturam instructam esse omnibus naturalibus prærequisitis ad operandum; hæc enim omnia spectant ad actum primum proximum, ac tantum dominant creaturam potentem operari, non vero actu operantem. Præterea certum est concursum divinum esse aliquid diversum ab omnibus conditionibus ex parte causarum secundarum requisitis; ac certum pariter est absque divino concursu actualem operationem

creaturæ dari non posse. Ergo aliud est causam secundam esse suis legibus ornatam omnibusque conditionibus naturalibus ad operandum requisitis instructam, et aliud est ipsam actu operari. Ergo etiamsi Deus denegaret concursum, nihil contradictorium vel repugnans accideret, quia exinde solum sequeretur creaturam actu esse et exigere operari, actu tamen non operari, quorum certe alterum non est alterius negatio.

Simili modo si Deus causæ secundæ, naturaliter certam operationem vel certum gradum operationis postulanti, transeunter imprimeret aliam diversam virtutem, vel concursum præstaret ad diversam vel robustiorem operationem, v. g. manui hominis ad sustentandum ingens pondus mille chilogrammorum; quid, quæso, essentis rerum repugnans vel contradictorium efficeret? An ideo manus hominis desineret esse id, quod est, quia virtus ejus augetur per potentiorum concursum Dei, quam natura sua postulare? Itemque si igni Deus retraheret concursum ad comburendum, simulque vel impressa illi transeunter diversa virtute, vel si mavis, per solum extrinsecum concursum eo uteretur non ad comburendum, sed ad refrigerandum, nihil absurdum aut repugnans fieret. Ubinam enim est contradictio? an quia ignis in ea hypothesi combureret simul et non combureret, vel refrigeraret simul et non refrigeraret? Atqui ignis tunc non *combureret*, licet *exigeret* naturaliter comburere, et non *exigeret* naturaliter *refrigerare*, quamvis de facto per virtutem non sibi propriam, sed ex indebito dono superadditam *refrigeraret*. An quia virtus refrigerandi naturam ignis destrueret? Verum in primis jam dixi, ut igne Deus uteretur ad refrigerandum, necesse non esse, ut eidem novam virtutem insereret naturali virtuti combustivæ contrariam, sed posse rem explicari per extrinsecum concursum, scilicet per actionem refrigerandi, quam solus Deus ad præsentiam et contactum ignis efficeret. Deinde non video, cur virtus refrigerandi transeunter impressa igni debeat *essentialiter* illum perimere. Nam non aliter profecto illum perimeret, nisi agendo in eum. Fac ergo Deum non concurrere cum illa virtute refrigerativa ad igem extinguendum; et nihil poterit huic illa nocere. Sicut etiam poterunt ignis et aqua frigidissima sese

contingere, ac penitus incorrupta manere, scilicet si Deus mutuam inter eas naturas actionem, retrahendo concursum, impediatur. In omnibus ergo his et infinitis aliis similibus casibus, qui fingi possunt, leges naturæ, ob defectum conditionis ex parte Dei requisitæ, executioni de facto non mandarentur.

Quod autem probatum est de legum per consentaneas operationes executione ope virium naturalium, probari similiter posset de ipsarum harum virium et proprietatum in suis naturis existentia. Si enim vires ac proprietates non dimanant a naturis propriis sine actione et concursu Dei, et sunt a naturis realiter distinctæ, productio et esse talium virium non est productio et esse ipsarum naturarum; poterit ergo Deus absolute loquendo absque repugnantia vel contradictione concursum suum ad esse ac productionem naturarum exhibere, ac negare ad virium ac proprietatum esse et productionem. Verum in hoc non tantopere insisto, nam sunt catholici Doctores, ut notavimus in *Ontologia*, qui negant naturas proprietatibus suis posse, etiam divinitus, spoliari: et controversia, cum de necessitate legum physicarum agitur, potissimum respicit executionem ipsarum per constantem et uniformem evolutionem cursus naturæ. Quæ cum ita sint, certum est id, quod in secunda parte propositionis probandum assumpsimus, videlicet non esse absolute ac metaphysice necessarium, ut conditiones, unde pendent naturæ leges, semper apponantur. Hinc sponte fluit tamquam corollarium.

Tertia pars propositionis: *absolute ac metaphysice impossibile non est aliquid præter naturæ ordinem fieri, cursumque naturæ aliquam interdum pati exceptionem.* Nam cursus naturæ consistit in legum executione, id est in uniformi serie operationum ad normam et exigentiam legum. Si ergo cursus iste essentialiter requirit consentaneum interventum et concursum causæ primæ, hic vero interventus et concursus potest aliquando, si sermo sit de absoluta et metaphysica possibilitate, deficere, quemadmodum declaratum et probatum manet, cursus naturæ talis non est, qui nequeat quandoque aliquam exceptionem pati. Eatenus porro naturæ cursus exceptionem patitur, quatenus aliquid fit præter ordinem naturæ, quippe qui ea causarum naturalium ad suos effectus

Quare
nec absolute
impossibile est,
aliquid præter
naturæ ordinem
fieri, nisi leges
naturæ aliquam
interdum pati
exceptionem.

habitudine continetur, quam leges physicæ præ se fuerunt.— Et hactenus de legum naturalium necessitate, quam ego controversiam summi momenti judico ad miraculorum tuendam veritatem.

108. Objicies 1.^o Propositio hæc reapse constantiam et universalitatem legum physicarum pessumdat; et consequenter omnem naturalem certitudinem eripit. Si enim leges absoluta necessitate non gaudeant: ergo exceptiones pati possunt. Quod autem exceptiones pati potest, profecto nec universale nec constans dici meretur. Inde porro fit posse nos dubitare, aut saltem nescire cum certitudine, num servandus sit in posterum naturæ cursus, donec quid de facto contingat, ipsi experiamur (1).

Resp. *neg.* assert.

Ad probationem *dist.* Major. Si leges naturæ non gaudent absoluta necessitate, exceptiones pati possunt raro et præter naturæ ordinem et ob rationem dignam, *conc.*: sæpe et indifferenter et absque ratione gravi, *subdist.*: si sola spectaretur absoluta et metaphysica rei possibilitas, *trans.*, si ratio habeatur ordinis naturæ ac divinæ sapientiæ providentiæque, *neg.*

Et *contradist.* Minor. Quod pati potest plerumque et indifferenter et absque ulla ratione exceptiones, nec universale nec constans dici meretur, *conc.*; quod raro et præter naturæ ordinem atque ob rationem gravem, *subdist.*; non meretur dici universale nec constans universalitate et constantia naturalium, *neg.* metaphysica et omni prorsus exceptioni repugnante, *conc.*

Quod vero inferitur in probatione de dubio vel certitudinis defectu circa naturæ cursum, *dist.* per partes. Ex præjecta doctrina sequitur posse nos prudenter dubitare, utrum hic et in singulis casibus lex naturæ servanda sit, *neg.*; imprudenter, *trans.* Prudens enim non est dubitare, ubi nullum cernitur vel leviter probabile periculum exceptionis, etiamsi

(1) Ita fere objiciunt contra miracula Kantius (*La Religion considérée dans les limites de la Raison*, II, sect. 2.^a). Feuerbach et Froeschamer (apud cl. Hettinger, *Op. et loc. cit.*, paragr. 22 fin.) Huc etiam revocatur unum ex argumentis, que objicit Petrus Larousse in suo impto *Dictionario*, ad vocem *Miracle*.

posset absolute loquendo exceptio dari. Ubi autem adest naturalis exigentia certi alicujus modi operandi, ita ut exceptio solum a Deo fieri valeat, qui non potest profecto spectata sua sapientia et providentia naturæ ordinem absque gravi ratione invertere ac perturbare; quamdiu nulla appareat ratio exceptionis, manifestum est nullum cerni periculum vel leviter probabile.

Distinguo pariter alteram partem illati. Non possemus scire cum certitudine, num servandus sit in posterum naturæ cursus generaliter loquendo, *neg.* Nam spectata Dei sapientia certum est metaphysice ordinem et communem naturæ modum operandi non mutatum iri. Non possemus scire cum certitudine pro singulis casibus particularibus, num servandus sit naturæ cursus; *subdist.*: cum certitudine metaphysica, *conc.*; cum vera certitudine physica omnem prudentem formidinem excludente, *neg.* Resque tota patet tum ex modo dictis in probationibus, tum ex iis, quæ de physica certitudine disputata sunt in *Logica Majori* (1).

Objic. 2.^o Deus, conditor et creator omnium naturarum, nihil contra naturam facit, ut scribit S. Augustinus (2). Sed quod est præter ordinem naturaliter rebus inditum atque adeo contra leges, contra naturam est. Ergo impossibile est, ut aliquid unquam, etiam spectata divina omnipotentia, præter ordinem naturæ fiat (3).

Resp. dist. Major. Deus nihil facit contra naturam, id est contra particulares et específicas inclinationes rebus impressas, *neg.*; contra communem et universalissimam habitudinem plenissimæ dependentiæ ac subjectionis ad suum auctorem, sive in essendo sive in operando, quæ rebus cunctis essentialis est, *conc.*

Et *contradist.* Minor. *neg.* conseq. Natura enim quamquam suas habeat naturales propensiones ad proprios effectus modumque convenientem operandi, Dei tamen dominio ac dispositioni subjecta penitus est. Hæc enim est suprema

(1) Vide n. 64 seqq., pag. 409 seqq.

(2) *Contr. Faustum*. lib. 26, cap. 3, ante med.

(3) Cfr. apud S. Thom. 1 p., quæst. 105, art. 6, arg. 1; de *Potent.* quæst. 6, art. 1, arg. 1.*

lex totius creationis, nihil posse esse vel operari nisi ad naturam et cum concursu et intervento Dei: quare propensiones, quas cernimus in natura, si rem intime perpendamus, revera non sunt, nec possunt esse absolutæ respectu Dei, sed conditionatæ; quia cum essentialiter dependeant a conditione divini interventus, non exigunt expleri assequendo de facto suos naturales terminos, nisi supposito quod Deo placuerit concurrere, vel non obstando. In hoc ergo sensu quidquid fiat præter ordinem naturæ, quamvis sit contra particulares inclinationes, potest dici non esse contra naturam, intelligendo hac voce habitudinem illam dependentiæ ac subjectionis essentialem, quæ rebus inest respectu Dei, sive in essendo, sive in operando pro arbitrio eternæ sapientiæ. Et ideo idemmet S. Augustinus ibidem rationem hanc reddit, cur Deus nihil contra naturam faciat, quia *id est cuilibet rei naturale, quod ille fecerit, a quo est omnis modus numerus et ordo naturæ.* Et hæc potissimum dicta sint ad mentem M. Augustini declarandam tuendamque: fateor tamen naturam non solere communiter in ea significatione sumi, ac proinde secundum usitatissimam vocis acceptionem, posse similiter dici Deum agere contra naturam (1). Verum plura de his inferius.

Dices 1.^o Si Deus aliquid contra naturam particularem faceret, etiam contra essentiam faceret; nam essentia idem est, ac natura. Atqui solemne est axioma in Philosophia nihil posse contra rerum essentias fieri vel ab ipso Deo. Ergo. *Resp. neg.* Major. Probation. *dist.* Essentia idem est re cum natura, *conc.*: ratione, *neg.* Nam essentia dicitur de primo esse rei absolute et in se considerato; natura vero de esse primo rei relate ad operationem. Atque hæc sola distinctio sufficit, ut aliud significet apud Philosophos esse aliquid *contra essentiam*, et esse *contra naturam*. Contra essentiam rei intelligitur id, quod primo esse rei repugnat. Et quia primum esse rei, dum res ipsa permanet, immutabile est, nihil potest fieri contra essentiam rei, scilicet ipsa re permanente; secus enim essentia mutaretur, atque adeo simul esset et non

Non est idem aliquid esse contra essentiam, atque contra naturam rei;

(1) Cfr. etiam, quæ in hanc rem scribit S. Thom. 1 p., quæst. 105, art. 6, corp. et ad 1.^{am}; de *Potent.*, quæst. 6, art. 1 ad 1.^{um}

esset: esset, quia supponitur res permanere; et non esset, quia res non potest esse sine sua essentia. Hoc pacto Deus nequit facere hominem irrationalem vel circulum quadratum. At contra naturam rei intelligitur esse id, quod repugnat modo consentaneo essendi et operandi rei: et hoc modo spoliari v. g. rem suis proprietatibus vel non sinere illam operari, cum adsunt omnia praequisita naturalia, vel facere ut aliter operetur, ac ipsi secundum gradum essentiae suae convenit, dicitur esse contra naturam. Jam vero supposita reali distinctione essentiae a suis proprietatibus: licet res privaretur illis, posset adhuc essentiam suam retinere; et similiter, licet impediretur operari suo modo consentaneo. Ergo non ideo, quia aliquid est, vel fit contra naturam, est, vel fit etiam contra essentiam, ex communi usu loquendi: ac propterea alterum prorsus repugnat, primum non absolute ac metaphysice repugnat, sed solum physice; quia nempe nulla est vis creata in natura, quae possit naturalem modum causarum secundarum, ubi adsunt omnia praequisita, impedire; sed solum Deus. Eodem modo distinguuntur quoque ex communi sensu *essentiale* et *naturale*.

Dices 2.^o Si Deus contra naturam etiam modo praedicto ageret, naturae vim inferret, itemque naturae jura violaret. Atqui id certe contra divinam bonitatem ac justitiam videtur esse.—*Resp. neg.* Minor. Relate ad primum eorum, quae objiciuntur, controvertitur inter DD. Catholicos, possitne Deus vim afferre creaturae; qua de re inferius agendum erit, ubi de naturali et violento (1). Quod vero spectat naturalium jurium violationem, negandum prorsus est assertum. Quia natura nullum jus strictum habet erga Deum, nec Deus erga naturam proprie obligatur. Quando natura ex sua conditione connectitur cum certa aliqua forma vel operatione, dicitur exigere, ac postulare illam. Verum quia exigentia hujusmodi data est a Deo, et insuper expleri nequit sine ulteriori operatione ac dono tali naturae collato, non se habet instar juris activi, ut ita dicam, in illa existentis adversus Deum, sed instar indigentiae naturalis supplendae ab universali Parente ac Provisore omnium rerum. Quare hujusmodi exigentia est

(1) Lib. 2; disp. 1, cap. 4, art. 3.

nec idem
prorsus valet
essentiale
ac naturale.

Utrum
Deus vim
naturae inferre
dici possit:
et utrum
natura jus
pro, rium habet
erga Deum.

quidem ratio objectiva, cur Deus, qui sic naturam creavit, ulterius operetur conferendo ea, quae necessaria sunt ad satis eidem faciendum; obligare tamen ipsa sola non potest Deum, qui Dominus est omnium, et naturales hujusmodi appetitus rebus largitur explendos vel non explendos in aliquo casu particulari pro aeternae sapientiae bonitatisque consilio. Quod si Deus tenetur communiter agere secundum leges et exigentias naturales, non est quia debeat quidpiam ipsi naturae, sed quia debet sibi ipsi, nimirum quia id decet aeternam sapientiam, et quia ita decrevit agere, salvis exceptionibus quibusdam in generalibus legibus aliquando apponendis ad ostensionem gloriae suae.

Objic. 3.^o Si quid contra ordinem naturae fieret, leges mutarentur. Atqui leges sunt immutabiles: nam fluunt necessario ex essentiis rerum, quas immutabiles esse solet in *Ontologia* ostendi.

Resp. neg. Major. Nam ex eo quod aliquando cursus naturae non servetur, nequit inferri leges ipsas in sese mutari, sed tantum quod exceptionem patiantur. Apposite S. Thomas: *Licet Deus faciat aliquem effectum praeter actionem causae naturalis, non tamen tollit ordinem causae ad suum effectum: unde et in igne fornacis (babylonicae) remanebat ordo ad comburendum, licet non combureret tres pueros in camino* (1). Si autem sermo sit de legum executione, ex eo quod aliquando cursus naturae non servetur, nequit inferri leges ipsas mutari, sed tantum exceptionem in casu particulari pati.

Objic. 4.^o «Sicut ordo humanae justitiae derivatur a divina justitia, ita ordo naturae derivatur a divina sapientia, ipsa enim est, quae disponit omnia suaviter. Sed contra ordinem humanae justitiae Deus facere non potest; sic enim esset causa peccati, quod solum ordini justitiae repugnat. Cum ergo non minor sit Dei sapientia, quam ejus justitia, videtur quod nec contra ordinem naturae facere possit» (2).

Resp. Licet Deus possit facere contra ordinem, qui est unius creaturae ad aliam, quod est quasi naturae particularis respectu

(1) S. Thom. de *Potent.*, quaest. 6, art. 1 ad 20.^m

(2) Apud S. Thom., de *Potent.*, quaest. 6, art. 1, arg. 3. Cfr. 1 p. quaest. 105, art. 6, arg. 2.

ipsius; non tamen potest facere contra ordinem creaturæ ad scriptum. *Justitia autem hominis consistit principaliter in debito ordine hominis ad Deum. Unde contra ordinem justitiæ Deus facere non potest. Cursus autem naturæ est secundum ordinem unius creaturæ ad aliam; et ideo contra cursum naturæ Deus facere potest* (1).

Objic. 5.^o Cursus naturæ spectat ad bonum universi. Sed Deus non potest facere contra bonum universi; quia ex sua bonitate summa provenit, quod omnia sint valde bona secundum ordinem universi. Ergo Deus non potest facere contra cursum rerum naturalium (2).

Resp. *Deus faciendo præter cursum naturæ non removet totum ordinem universi, in quo consistit bonum ipsius, sed ordinem alicujus particularis causæ ad suum effectum* (3).

Objic. 6.^o Quod est contra naturam, inordinatum est. Sed Deus nihil inordinatum facere potest. Ergo...

Resp. dist. Major, id est; non est ordinatum secundum particularem naturam, *conc.*; nullum prorsus ordinem habet, *neg.* Nam Deus quotiescumque præter ordinem naturæ operatur, exceptionem ad altiorum ordinem dirigit, quemadmodum agendo de finali causa miraculorum declarabitur.

Objic. 7.^o Dedecet ens infinite sapiens, ut leges faciat, quas deinceps violet. Nam id ostenderet eas ad suum finem perfectas non esse, ideoque correctione indigere, idque Deum ab initio non prævidisse, vel certe mutasse suum consilium relate ad earumdem executionem: quæ omnia prorsus nefas est cogitare.

Resp. neg. assert. et probationem. Etenim leges naturæ ineptæ non sunt, sed aptissimæ sufficientissimæque ad finem suum assequendum. Verum quia Deus æterno providentiæ bonitatisque suæ consilio, præter naturales fines rerum ad universalem mundi ordinem conservandum directos, potuit alios quoque intendere ad majorem suam gloriam majusque bonum rationalis creaturæ; potuit quoque ad horum altiorum finium assecutionem inter alia media suspensionem

(1) S. Thom., *de Potent.*, loc. cit. ad 3.^{um} Cfr. 1 p., quest. 105, art. 6 ad 2.^{um}

(2) Vide apud S. Thom., *de Potent.*, quest. 6, art. 1, arg. 7.

(3) S. Thom. *ibid.* ad 7.^{um}

physicorum legum exceptionemque naturalis cursus identidem factam ordinare. Et ita re vera Deum aliquando egisse, ex certissimis historiis compertum est. Suspendio ergo legum naturalium in casu aliquo particulari nullatenus probat eas imperfectas esse, aut correctione indigere. Multoque minus argueret Deum aut suspensionem aliquando faciendam non prævidisse, aut mutasse unquam consilium. Ipse namque simul æterno sapientiæ suæ decreto et leges toti naturæ constanter servandas præscripsit, et exceptiones, cum opportunissimum foret, faciendas assignavit. Apposite Aquinas: *Deus non facit contra rationes naturales mutabili voluntate; nam Deus ab æterno prævidit, et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in sua voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat* (1).

Verum plura de his inferius, ubi de miraculorum possibilitate. Vide interea, si lubet, S. Thomam (2).

CAPUT II.

DE MIRACULIS.

Controversia hæc, quantumvis theologica, non tamen aliena est a Philosophia, nec prætermittenda nobis in hoc loco. Primo enim intime conserta est cum iis, quæ de naturæ legibus modo disputavimus; ac supposita veritate revelatæ religionis, quicquid ad naturam miraculorum pertinet, fere potest naturali lumine rationis demonstrari. Aliunde vero quæ rationalistæ ac generatim acatholici scriptores hac in re blasphemantes effutiunt, necessariam prorsus reddunt tractationem; vix enim alia est quæstio, in qua revelatæ doctrinæ osores suam miserabiliter prodant ignorantiam, impietatem ac malam fidem: ignorantiam quidem, quia tota ferme illorum ratiocinatio vitari solet eo sophismate, quod Logici

(1) S. Thom., *de Potent.*, quest. 6, art. 1 ad 6.^{um} Cfr. *Cont. Gent.*, lib. 3, cap. 98.

(2) *De Potent.*, quest. 6, art. 1; 1 p.; quest. 105, art. 6.